



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Pacis Westphalicæ Publica**

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten, was vom Anfang des Jahrs 1647. biß gegen Ende desselben zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt worden

**Meiern, Johann Gottfried von**

**Hannover, 1735**

**VD18 90566467**

§.XXIV. Der Kayserlichen abermahliges Project in puncto Gravaminum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52129)

1647.  
Mart.

cile autem inter Domus Electorales Saxonica & Brandenburgicam, nec non Palatinam Neoburgicam tumultus oriri possint, si causa Juliacenſis Successionis indeciſa & in terminis litigioſis relinqueretur; Eapropter decretum est, ut durantibus adhuc hiſce Tractatibus, de modo vel compositionis amicabilis, vel Summarii & expeditioris proceſſus, perſonis, loco, & tempore hujus negotii definiendi conveniatur, nihilque præjudicii incluta Domui Saxonica è tractatibus nuper inter Electorem Brandenburgicum & Palatinum Neoburgicum, Principatum horum cauſa initis, inferri debere.

1647.  
Mart.*Ad Jura Statuum.*

Placuit præterea communi tam Sacrae Cæſaræ Majeſtatis, quam univerſorum Electorum, Principum & Statuum ſuffragio, Unionem & Confraternitatem hereditariam inter Domus Electorales & Principum Saxonica, Brandenburgi & Haſſia, jam dudum Pactis ſolemnibus initas, cum primis vero Anno 1587. & 1614. iteratas, vigore præſentium in omnibus ſuis clauſulis approbare, confirmare, eidemque vim & effectum publicæ Conventionis planè & plenè addere, caſſatis & abolitis omnibus in contrarium quovis modo facientibus.

*Ad Gravamina Communia.*

Ad indagandum remedium provisionale, quo tam debitores fortunis calamitate publica lapſi, quam Creditores æquabiliter juvari poſſint, deputentur in præſentiarum Statuum quorundam Legati proxime deſuper deliberaturi, & donec de eo conveniat, id quod tamen intra anni ſpatium fiat neceſſe erit, curſus uſurarum ſiſtatur.

Cum etiam appareat, cauſam confuſionum & calamitatum hætenus perpèſſarum non fuiſſe minimam, neglectam obſervantiam diſciplinæ Chriſtiana, ut & Reformationis ſeu Ordinationis Politia, prout ea Auguſtæ Vindelicorum Anno 1530. 1548. & Francofurti 1577. communitam Sacrae Cæſaræ Majeſtatis quam Electorum, Principum & Statuum placito publicata fuit, eapropter conventum est, reductionem diſciplinæ collapsæ renovare, ſtatui præſenti Imperii adaptare, eandemque in uſum intemperatum revocare, & in transgreſſores pro condigno ſine reſpectu animadvertere.

## §. XXIV.

Die Kayſerlichen ſtellen ein abermahliges Project in Puncto Gravaminum an die Evangelischen aus.

Den 4ten Aprilis lieſſen die Kayſerlichen Plenipotentiarii ein abermahliges Project in Puncto Gravaminum den Evangelischen einlieffern, welches in nachgeſetzten Formalien abgefaſſet war.

*Punctus Gravaminum Inſtrumento Cæſareanorum ita inſertus d. 7. April. 1647.*

Cum autem præſenti bello maximam partem Gravamina, quæ inter utriusque Religionis Electores, Principes, & Status Imperii vertebantur, cauſam & occaſionem dederint; de iis, prout ſequitur, conventum & tractum est:

Transactio Anno 1552. Paſſavii inita & hanc Anno 1555. ſecuta Pax Religionis, prout ea Anno 1566. Auguſtæ Vindelicorum & poſt, in diverſis Sacri Romani Imperii Comitiiſ Universalibus confirmata fuit, in omnibus ſuis capitulis unanimi Electorum, Principum & Statuum utriusque Religionis con-

1647.  
April.

consensu initis ac conclusis, rata habeatur, sancteque & inviolabiliter servetur. Quæ vero de nonnullis in ea Articulis controversis hac Transactione communi partium placito statuta sunt, ea pro perpetua dictæ Pacis declaratione, tam in Judiciis quam alibi, observanda habebuntur, donec per Dei Gratiam de Religione ipsa convenerit, non attempta cujusvis, seu Ecclesiastici seu Politici, intra vel extra Imperium, quocunque tempore interposita contradictione vel protestatione, quæ omnes inanes & nihili, vigore horum, declarantur. In reliquis omnibus autem inter utriusque Religionis Electores, Principes, Status, omnes & singulos, sit æqualitas exacta mutuaque, quatenus formæ Reipublicæ, Constitutionibus Imperii & præsentis Conventioni conformis est, ita ut quod uni parti justum & alteri quoque justum sit, violentia omni & via facti, uti alias, ita & hic inter utramque partem perpetuo prohibita.

1647.  
April.

Terminus à quo Restitutionis in Ecclesiasticis, & quæ intuitu eorum in Politicis mutata sunt, sit dies 1. Januarii Anni 1624. Fiat itaque Restitutio omnium Electorum, Principum & Statuum utriusque Religionis, comprehensa Libera Imperii Nobilitate, ut & Communitatibus & Pagis Immediatis, plenarie & pure, cassatis omnibus interim in istiusmodi causis, latis, publicatis & institutis Sententiis, Decretis, Transactionibus, Pactis seu dedititiis seu aliis & Executionibus, reductione ad statum dicti Anni dieique in omnibus facta.

Civitates, Augusta Vindelicorum, Dünckelspüla, Ravensburgum & Biberacum retineant Bona, Jura & Exercitium Religionis dicti Anni dieique, sed ratione Dignitatum Senatoriarum aliorumque munerum publicorum, sit inter utriusque Religionis addictos æqualitas idemque numerus.

Sub isto termino à quo, comprehendatur etiam Comes Palatinus *Ludovicus Philippus*, non attento, quod dicto Anno 1624. in possessione sui patrimonii non fuerit, restituaturque tam in Ecclesiasticis quam in Politicis, in eum, quo ante fuerat, statum. Quemadmodum quoque terminus Anni 1624. nullum præjudicium creare debet iis, qui ex capite Amnestiæ aut aliunde restituendi veniunt.

Bona Ecclesiastica Immediata quod attinet, sive sint Archi-Episcopatus, Episcopatus, Prælatuæ, Abbatia, Ballivia, Præpositura, Commendataria, sive libera Foundationes Seculares, aut alia, una cum redditibus, pensionibus, aliisque quocunque nomine signatis, seu in urbibus seu rure sitis, ea seu Catholici seu Augustanæ Confessionis Status die 1. Jan. 1624. possederint, omnia & singula, nullo plane excepto, ejus Religionis consortes, qui dicto tempore in reali eorum possessione fuerunt, in perpetuum tranquille & imperturbate possideant, neutrique parti liceat alteri, seu in judicio seu extra, negotium faceßere, multominus turbas aut impedimentum aliquod inferre. Si igitur Catholicus aut Augustanæ Confessionis Archi-Episcopus, Episcopus, Prælatus solus aut unà cum Capitularibus, seu singulis seu universis, aut etiam alii Religiosi, religionem imposterum mutarint, excidant illi statim suo jure, honore tamen fama que illibatis; fructusque & redditus citra moram & exceptionem cedant, Capituloque aut cui id de jure competit, integrum sit, aliam personam Religionis ei, ad quam Beneficium istud vigore hujus Transactionis pertinet, addictam eligere aut postulare, relictis tamen Archi-Episcopo, Episcopo, Prælato &c. decedenti, fructibus & redditibus interea perceptis & consumptis.

Si ergo Satus seu Catholici seu Augustanæ Confessionis addicti, Archi-Episcopatus, Episcopatus, Beneficiis aut Præbendis suis Immediatis, a

1647.  
April.

die 1. Jan. Anno 1624. judicialiter aut extrajudicialiter exciderint, aut quocunque modo turbati fuerint, vigore harum illico, tam in Politicis quam Ecclesiasticis, omnibus novationibus abolitis, restituantur, ita quidem, ut quaecunque bona Ecclesiastica Immediata die 1. Jan. 1624. Catholico Praefule regebantur, Catholicum caput recipiant, & vicissim, quæ dicto Anno dieque Augustanae Confessioni addicti possidebant, retineant etiam in posterum, remissis tamen, quæ una pars contra alteram prætere tendere possit, perceptis interea fructibus, damnis & expensis.

1647.  
April.

In omnibus Archi-Episcopatibus, Episcopatibus &c. jura Eligendi & Postulandi juxta cujusque loci consuetudines & Statuta antiqua illibata maneant, quatenus illa Imperii Constitutionibus, Transactioni Passaviensi, Paci Religiosæ & imprimis huic Declarationi & Transactioni sunt conformia, & intuitu Archi- & Episcopatum Augustanae Confessioni addictis permanentium, ea nihil in se continent illi Confessioni adversum.

Postulati vero seu Electi in Capitulationibus suis spondeant, se susceptos Ecclesiasticos Principatus, Dignitates & Beneficia nequaquam hereditario jure possessuros, aut id acturos, ut hereditaria fiant, sed libera sit utique Capitulo & quibus id præterea pariter cum Capitulo pro more competit, tam Electio & Postulatio, quam sede vacante Administratio & jurium Episcopatum exercitium, operaque detur, ne Nobiles, Patritii, gradibus Academicis insigniti, aliæque personæ idoneæ, ubi id Foundationibus non adversatur, excludantur, sed ut potius in iis conserventur.

Ubi Sacra Cæsarea Majestas jus Primarium Precum exercuit, exerceat etiam in posterum, dummodo decedente Evangelico in ejus Religionis Episcopatibus, Evangelicus ad normam Statutorum & Observantiæ idoneus precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque Religione seu Episcopatibus seu aliis locis Immediatis, Precibus Primariis præsentatus non gaudeat, nisi Beneficium vacans Religionis confors possederit.

Si quid Annatarum, Iurium Pallii, Confirmationum, Mensium Papalium & hujusmodi Iurium & Reservationum nomine, in bonis Statuum Augustanae Confessionis Ecclesiasticis Immediatis, a quocunque, quodcumque aut quomodocumque prætere datur, id validitate & executione a brachio Seculari impertienda careat.

In quorum autem Ecclesiasticorum bonorum Immediatorum Capitulis, utriusque Religionis Canonici, vigore præfati termini, certo utrinque numero admittuntur, Mensesque Papales id temporis in usu fuerunt, porro quoque, si decedentes Canonici ex numero Catholicorum definito fuerint, obtineant atque executioni, casu eveniente demandentur, modo Papalis Provisio Capitulis immediate e Curia Romana & tempore legitimo infinuatur.

Electi aut Postulati, Archi-Episcopus in Episcopos, Prælatos Augustanae Confessioni addicti, a Sacra Cæsarea Majestate, postquam intra annum Electionis aut Postulationis suæ fidem fecerint, & juramenta Regalibus consueta Feudis præstiterint, absque ulla exceptione investiantur, utraque Taxæ ordinariæ summam, insuper ejusdem dimidiam, pro infeudatione pendant. Augustanae Confessionis Archi-Episcopi, Episcopi, Prælati, aut sede vacante Capitula, & quibus administratio cum iis conjunctim competit, ad Universales æque ac Particulares Deputationum, Visitationum, Revisionum aliosque Conventus Imperiales, litteris solitis evocentur, & Suffragii iure fruantur,  
prout

1647. prout quisque Statuum, ante Religionis diffidia, eorum jurium particeps fuit. Quæ vero & quot personæ ad ejusmodi Conventus mitti debeant, de eo Præsilibus cum Capitulis & Conventualibus statuere liberum esto.

1647.  
April.

De Titulis Principum Ecclesiasticorum Augustanæ Confessionis ita convenit, ut, absque tamen præjudicio Status & dignitatis, titulis Electorum aut Postulatorum in Archi-Episcopum, Episcopum, Abbatem, Præpositum, insigniantur.

Sessionem autem in Scamno inter Ecclesiasticos & Seculares intermedio & transverso capiant, quibus a latere assideant omnium trium Imperii Collegiorum Director Cancellariæ Moguntinensis, nomine Domini Archi-Episcopi, Actorum Comitium generali directione fungens, & post ipsum Directores Collegii Principum, idemque serverur in Senatu Principum collegialiter congregato, a solis istius Collegii Actorum Directoribus.

Quot Capitulares & Canonici die 1. Januarii Anno 1624. uspiam, excepto Capitulo Cathedrali Episcopatus Argentoratensis, vel Augustanæ Confessionis vel Catholici fuerunt, totidem illic ex utraque Religione erunt semper, nec decedentibus, nisi ejusdem Religionis consortes surrogentur. Si vero alicubi jam plures Catholici vel Augustanæ Confessionis Capitulares aut Canonici beneficia possident, quam Anno 1624. ii quidem supernumerarii Beneficia & Præbendas ad vitam retineant, mortuis vero iis, tamdiu Catholicis Augustanæ Confessionis addicti, & his Catholici succedant, donec redintegratus fuerit utriusque Religionis Capitularium & Canonicorum numerus, qui die 1. Januarii 1624. erat. Exercitium vero Religionis in Mixtis Episcopatibus ita restituatur & permaneat, ubi & quatenus id Anno 1624. palam receptum permillumque fuit, nec supradictis omnibus vel eligendo vel præsentando, aliterve, quicquam detrimenti creatur.

Qui Archi-Episcopatus & aliæ Fundationes, atque Bona Ecclesiastica Immediata in Satisfactionem cesserint, ex hisce præjudicium nullum sentiant, sed Conventionibus suis reliquantur.

Quæcunque Monasteria, Collegia, Balliviæ, Commendæ, Tempia, Fundationes, Scholæ, Hospitalia, aliave bona Ecclesiastica Mediatæ, ut & eorum redditus, juraque, quocumque nomine ea appellata fuerint, Augustanæ Confessionis Electores, Principes, Status A. 1624. die 1. Jan. possederunt, eadem omnia & singula sive retenta semper sive restituta, sive vigore hujus Transactionis restituenda, iidem possideant perpetuo, donec controversiæ Religionis amicabili partium conventionem universali definiantur, non attentis exceptionibus sive ante, sive post Transactionem Passaviensem aut Pacem Religiosam reformata & occupata, aut quod non de, vel in territorio Augustanæ Confessionis Statuum fuisse, vel aliis Statibus Catholicis Jure Suffraganeatus, Diaconatus, aliave quavis ratione obligata fuisse dicuntur. Unicum solumque hujus Transactionis, Restitutionis Observantiæque futuræ fundamentum sit, die 1. Jan. 1624. habita possessio: Irritis prorsus exceptionibus, quæ ex introducto alicubi locorum exercitio Interimistico, vel anterioribus aut secutis Pactis, generalibus aut specialibus Transactionibus, vel Litibus motis Causisve Decisiis, vel etiam Decretis, Mandatis, Rescriptis, Paritoriis, Reversalibus, Litis-pendentiis, vel aliis quibuscumque prætextibus & rationibus desumi possent.

Ubi igitur supradictorum omnium bonorum eorundemque pertinentium fructuumve, Augustanæ Confessionis Statibus aliquid quovis modo ac præ-

1647.  
April.

prætextu, five id judicialiter five extrajudicialiter a dicto tempore interver-  
sum aut ademptum est, omnino absque mora & indistincte (& inter illa specia-  
liter etiam Monasteria, Fundationes atque Bona Ecclesiastica omnia & singu-  
la a Principe Wurtembergico Anno 1624. possessa) cum suis pertinentiis, re-  
ditibus, & accessionibus ubicunque sitis, cum emotis Documentis in priorem  
statum restituatur.

1647.  
April.

Omnia quoque Monasteria, Fundationes & Sodalicia Mediata, quæ die  
1. Jan. Anno 1624. Catholici realiter possederunt, possideant & ipsi similiter,  
utut in Augustanæ Confessionis Statuum territoriis & ditionibus ea sita sint,  
non tamen in alios Religiosorum Ordines, quam quorum Regulis primitus di-  
cata sunt, commutentur, nisi talium Religiosorum Ordo plane intercederit,  
tunc enim Magistratui Catholicorum liberum esto, ex alio in Germania ante  
diffidia Religionis exorta, usitato Ordine, novos Religiosos substituere.

In quibuscunque vero Fundationibus, Ecclesiis Collegiatis, Monaste-  
riis, Hospitalibus ejusmodi Mediatis, Catholici & Augustanæ Confessionis ad-  
dicti, promiscue vixerunt, vivant etiam posthac promiscui, numero prorsus  
eodem, qui die 1. Jan. Anno 1624. ibidem repertus fuit, publicum etiam Re-  
ligionis Exercitium idem maneat, quod quovis in loco dicto anno dieque usi-  
tatum fuit, absque unius vel alterius partis impedimento.

In quibuscunque etiam Fundationibus Mediatis Anno 1624. die 1. Janu-  
arii, Sacra Cæsarea Majestas Præmaria Preces exercuit, exerceat eas & im-  
posterum, ad modum circa Bona Immediata superius explicatum. Idem  
plane observetur de Mensibus Papalibus, quod supra Art. 5. dispositum est, con-  
ferant etiam Archi-Episcopi, & quibus aliis id juris competit, Beneficia Men-  
sium Extraordinariorum. Quod si quoque Augustanæ Confessionis addicti  
in ejusmodi bonis Ecclesiasticis Mediatis, dicto anno dieque a Catholicis rea-  
liter plene vel ex parte possessis, Jura Præsentandi, Inspectionis, Visitandi,  
Confirmandi, Corrigendi, Protectionis, Aperturæ, Hospitationis, Servitio-  
rum, Operarum habuerunt, Item Parochos, Præpositos ibi aluerunt, Jura ista  
illis facta rectaque maneant. Et si Electiones debito tempore modo non  
fiant, Præbendarum vacantium distributio & collatio in ejusdem Religionis  
personas, cujus decedens fuit, ex jure devoluto ad eosdem pertineat, modo  
per hos in ejusmodi bonis Ecclesiasticis Mediatis instituto Catholicæ Religio-  
nis nihil præjudicetur, ac Magistratui Catholicorum Ecclesiastico sua jura ex  
instituto Ordinis in ipsos Religiosos competentia, salva ac illibata sint, quibus  
etiam, si electiones aut collationes Præbendarum vacantium debito tempore  
factæ non fuerint, jus devolutum salvum esto.

Quod ad eas Civitates & Communitates, quæ jam olim Immediate ad  
Imperium pertinebant, sed Immediatis Imperii Statibus oppignoratæ sunt,  
vel etiam bona patrimonialia Imperii aliis oppignorata attinet, cum in Capi-  
tulatione Cæsarea dispositum reperitur, quod Electus Romanorum Impe-  
rator, Electoribus, Principibus, ceterisque Statibus Immediatis Imperii ejus-  
modi oppignorationes indistincte, cujuscunque generis sint, confirmare, at-  
que illos in earundem tranquilla & quieta possessione defendere ac manute-  
nere debeat; hoc etiam porro observandum esse conventum est, donec Sacræ  
Cæsareæ Majestati Electoribus, Principibus & Statibus Imperii in Univer-  
silibus Comitibus aliter disponendum videatur; Si qui vero Status hoc nomi-  
ne gravati, suisque bonis oppignoratis occasione belli privati sunt, repenso  
restitutionis pretio, restituantur, quo nominatim querelæ Civitatum Lindav  
& Weissenburg in Noricis, remissæ sunt.

Quæ

1647.  
April.

Quæ vero bona Imperii Status sibi invicem Pignoris seu Antichreseos jure quocunque tandem tempore oppignoraverant, si quis ejusmodi bonis oppignoratis occasione duntaxat belli, nullo servato juris ordine, destitutus fuit, una cum Documentis plenarie in pristinam restituatur possessionem, reservato tamen per omnia Dominis directis jure reluendi: quibus omnino liberum ac integrum sit, actionem desuper coram competenti Judice intentare, nec aliter teneatur possessor re oppignorata decedere, nisi servato juris ordine, sententia contra eundem lata, ad parendum reluitioni condemnatus fuerit.

1647.  
April.

Libera & Immediata Imperii Nobilitas, omniaque & singula ejus membra una cum subditis & bonis suis Feudalibus & Allodialibus, nisi forte in quibusdam locis ratione certorum bonorum, & respectu territorii vel domicilii aliis Statibus reperiantur subjecti, vigore Pacis Religiosæ illimitatæ præsentisque Conventionis, in Juribus, Religionem concernentibus, & Beneficiis inde promanantibus, penitus æquati maneat supradictis Electoribus, Principibus & Statibus, nec in iis sub quocunque prætextu impediantur aut turbentur: turbati vero omnes omnino restituantur in integrum.

Liberae Imperii Civitates, prout omnes atque singulae sub appellatione Statuum Imperii, non tantum in Pace Religionis, & præsentis ejusdem Declaratione, sed & alias ubique indubitanter continentur, ita exillarum numero ea, in quibus unica tantum Religio (sive illa Catholica sive Augustana Confessio sit) in usu est, tam ratione Jusris Reformandi, quam aliorum casuum Religionem concernentium, in territoriis suis, & respectu subditorum non minus ac intra muros & suburbia, aliis Imperii Statibus superioribus omnimodo æquales, adeoque de istis generaliter disposita & conventa, de his quoque dicta & intellecta sunt. Non attento, quod in iis Civitatibus, in quibus, præter Augustanæ Confessionis Exercitium, nullum aliud a Magistratu & Civibus, juxta morem & Statuta cujusque loci, Anno 1624. introductum fuit, aliqui Catholicæ Religionis addicti cives commorentur, nec etiam in aliquibus Capitulis, Ecclesiis Collegiatis, Monasteriis & Cœnobiis ibidem sitis, Immediate vel Mediate Imperio subjectis, inque eo statu, qui fuit d. 1. Jan. Anno 1624. deinceps quoque cum Clero intra prædictum terminum non introducto, & civibus Catholicis pro tempore ibi existentibus, tam active tam passive omnino relinquendis, Catholicæ Religionis exercitium vigeat. Ante omnia vero Civitates illæ Imperiales, quæ sive uni sive utrique Religionis addictæ, ab Anno 1624. propter Religionem vel Bona Ecclesiastica, ante aut post Transactionem Passaviensem & Pacem Religiosam subsecutam, occupata & reformata, vel alias Inritu Religionis in Politicis quocunque modo, sive extra sive judicialiter aggravatæ sunt, in eum statum, in quo Calend. Jan. prædicti Anni 1624. tam in Sacris quam in Profanis fuerunt, non minus ac reliqui Satus Imperii superiores, plenissime reponantur, inque eo, absque ulteriori turbatione, perinde atque illæ, quæ tum temporis adhuc possederunt, aut interea possessionem recuperarunt, usque ad amicabilem Religionum compositionem conserventur, cassatis rerum judicatarum & transactarum, Litispendentiarum, aliisque Art. 2. & 9. enumeratis exceptionibus.

in iis denique Civitatibus Imperialibus, in quibus tam Magistratus quam Cives partim Catholicæ Religionis, partim Augustanæ Confessionis addicti sunt (veluti Augustæ Vindelicorum, Dunckelspilæ, Biberaci, Ravensburgi & Kaufbeuræ) utriusque Religionis publica Exercitia, juxta statum Anni 1624. illibata semper maneat, neutrique partium, alteram de Religionis suæ

Dierdter Theil.

A a

Exer-

1647. exercitio, ritibus Ecclesiæ & caremoniis, turbare fas sit: sed cives pacifice 1647.  
 April. & comiter invicem cohabitent, liberumque Religionis suæ ac bonorum u-  
 sum ultro citroque habeant, falvis tamen iis, quæ Politicorum ratione de  
 Augusta Vindelicorum, Dunkelspula, Biberaco, & Ravesburgo superius  
 Art. 2. disposita sunt.

Civitas Aquisgrani in eo statu permaneat, in quo vigore sententiæ, a  
 Cæsare RUDOLPHO II. latæ, hucusque fuit: De restitutione vero Civita-  
 tis Donawerdæ in proximis agatur Comitibus.

Quantum deinde ad Comites, Barones, Nobiles, Vasallos, Commu-  
 nitates, qui Statibus Imperii Immediatis tanquam Status Provinciales & me-  
 diati subiecti sunt, & reliquos eorum subditos pertinet: Qui quidem sive  
 publicum sive privatum Augustanæ Confessionis Exercitium usu obtinuisse  
 asserunt, & generatim quod libertatem credendi unius vel alterius Religio-  
 nis Statuum Immediatorum subditis permittendam concernit: cum ejus-  
 modi Statibus Immediatis cum Jure Territorii & Superioritatis, ex commu-  
 ni per totum Imperium hæctenus usitata praxi, etiam Jus Reformandi Reli-  
 gionem competat, atque in hac ipsa Conventione, vigore præcedentium  
 Articulorum, stabilitum sit, ac dudum in Pace Religionis talium Statuum  
 subditis, si a Religione sui Superioris dissentiant, Beneficium Emigrandi  
 concessum, insuper majoris concordiæ inter Status conservandæ causa cau-  
 tum fuerit, quod nemo alienos subditos ad suam Religionem pertrahere,  
 allicere, eave causa in defensionem aut protectionem suscipere, illisve ulla  
 ratione patrocinari debeat; conventum est, hoc idem porro quoque ab  
 utriusque Religionis Statibus observari, nullique Statui Immediato Jus,  
 quod ipsi ratione Territorii & Superioritatis, in Religionis negotio compe-  
 tit, impediri oportere. Interea tamen statuum Immediatorum Catholicorum  
 Landfaffii, Vafalli & subditi, qui Anno 1624. nullo quidem certo pacto  
 sed sola conniventia, usum & Exercitium Augustanæ Confessionis habue-  
 runt, in eundem restituentur statum. Illi vero, qui nunc in illis Statuum  
 Immediatorum territoriis degunt, nullumque usu dictæ Confessionis Exer-  
 citium publicum obtinuerunt, eidem tamen Confessioni addicti sunt, inviti  
 quidem emigrare non cogantur, sed patienter tolerantur, modo ejusmodi  
 Landfaffii, Vafalli, subditi in ceteris officium suum, cum debita sua erga  
 suos superiores reverentia, diligentes ad impleant, nullisque turbationibus  
 ansam præbeant. Idem quoque observabunt Augustanæ Confessionis Sta-  
 tus Imperii Immediati erga suos, si quos habent, Catholicæ Religionis sibi  
 subiectos.

Quod si vero aliqua inter tales Immediatos Imperii Status, eorumque  
 subditos, & Status Provinciales antehac pacta intercessissent, vel transactiones  
 & conventiones de Exercitio Religionis introducendo, permittendo, con-  
 servando initæ essent, hujusmodi Pacta, Transactiones, Conventiones &  
 Permissiones ratæ ac firmæ manent, nec ab iisdem, nisi mutuo pacifcen-  
 tium consensu, recedere liceat.

Quod si sua sponte emigrante subditus, cujuscunque sortis, voluerit,  
 aut, quod suum est, vendere, liberum ei sit, aut retentis bonis aut aliena-  
 tis discedere, retenta per ministros, Religioni, in loco, unde discessit, ad-  
 dictos, administrare, & statis anni temporibus ad sua redire. Emigratio  
 quoque prætextu servitutis, aut alio, neutiquam difficilior reddatur, nec  
 iis, qui emigraturi sunt, testimonia Nativitatis, ingenuitatis, manumissionis,  
 cogniti opificii, honestæ vitæ denegentur, nec iisdem Reverfalibus inusta-  
 tis



1647. April. tis aut clausulis vel juramentis de non mutanda Religione, aut etiam detractionibus, Steurarum nomine, plus æquo prægraventur. 1647. April.

Silesii etiam Principes Augustanæ Confessionis addicti, Duces scilicet in Brieg, Lignitz, Munsterberg & Oels, itemque Civitas Vratislaviensis, juxta gratiam ipsius A. Domini 1635. factam, & scriptis eo nomine ad Cæsaream Majestatem, tanquam Regem Bohemiæ, elogiis humillime acceptam, in libero Augustanæ Confessionis Exercitio sibi concessio manutenebuntur.

Quod vero ad Comites, Barones, & Nobiles in reliquis Silesiæ Ducatibus immediate ad Cameram Regiam spectantibus, tum etiam in Austria Inferiori de præsentibus degentes attinet: quamvis Sacræ Cæsareæ Majestati tanquam Principi per se absoluto & libero, Jus Reformandi religionem, non minus ac reliquis tam intra quam extra Imperium constitutis Regibus, Principibus, Rebusque Publicis competat, tamen, in gratiam intercedentium permittit, quod ejusmodi Comites, Barones & Nobiles ob professionem Augustanæ Confessionis, loco aut bonis cedere aut emigrare non cogantur, modo in reliquis tranquille & pacifice vivant, seque tales præsentent, quales erga suum summum Principem decet, ac rationi consentaneum est. Cum vero Religionis causa sponte emigraverint, bonaque sua immobilia vendere commode non possint, statis anni temporibus iisdem liber aditus, rerum suarum suscipiendarum & curandarum causa, concedatur.

Hæc tamen concessio solum ad eos, qui Augustanam Confessionem profitentur, pertinet, nec ad alias cujuscunque nominis Religiones extendi debet.

Palatino Sultzbacensi, sicut hæcenus, ita etiam impostero similitur, & Viduæ Hilpoltsteinensi, pro se suisque Aulicis Ministris, Consiliariis, Officialibus, & servis, intra aulae parietes & ædes sacras illuc pertinentes, liberum pateat Augustanæ Confessionis Exercitium. In reliquis Jus sublimis Territorii, tam quoad Ecclesiastica quam Politica, Principi totius Palatinatus Neoburgici Regimini universali præfecto maneat salvum, ita tamen ut subditos Augustanæ Confessionis addictos, ea, qua supra in genere conventum est, indulgentia tractet.

A sola qualitate Feudali vel Subfeudali, sive a Regno Bohemiæ, sive ab Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii, sive aliunde procedant, Jus Reformandi non dependet, sed feuda ista & subfeuda, nec non Vasalli, subditi & bona Ecclesiastica in causis Religionis, quidquid juris Dominus Feudi prætendat, introduxerit, aut sibi arrogarit, ex statu Anno 1624. die 1. Jan. perpetuo censeantur. Quæque vel judicialiter vel extrajudicialiter innovata fuerint, tollantur & in pristinum statum restituantur.

Sin vero certa eo nomine pacta, vel in ipsa Investiturarum concessione, vel aliter partium, quarum interest, voluntate intercesserint, aut aliud usu diuturno obtinuerit, porro quoque talia pacta atque usu obtenta observentur. Territorii jure controverso vel ante vel post terminum Anni 1624. donec super possessorio & petitorio cognoscatur & decidatur, possessori præfati anni idem jus esto.

In iis locis, ubi Catholici & Augustanæ Confessionis Status ex æquo Jure Superioritatis fruuntur, tam ratione publici Exercitii quam aliarum

1647. rerum Religionem concernentium, idem status maneat, qui fuit dicto anno 1647.  
April. dieque. April.

Sola Criminalis Jurisdictio, Cent-Gerichte, solumque Jus Gladii & Retentionis, Patronatus, Filialitatis, neque conjunctim neque divisim, Jus Reformandi tribuunt, quæ itaque hoc colore Reformationes hucusque irrepserunt, pactisve intrusa sunt, cassantur, gravati restituuntur, imposterum ab ejusmodi penitus abstinetur.

Ratione Redituum cujuscunque generis, ad bona Ecclesiastica eorumque Possessores pertinentium, ante omnia observetur id, quod in Pace Religionis §. Dargegen sollen die Stände, so der Augspurgischen Confession ic. & §. Alsdann auch den Ständen der alten Religion &c. dispositum invenitur; illi vero Reditus, Census, Decimæ, Pensiones, quæ vigore jam dictæ Pacis Religionis, Statibus Augustanæ Confessionis, ob Mediatas vel Immediatas Fundationes Ecclesiasticas, ante vel post Pacem Religiosam, acquisitas, e Catholicorum Provinciis debentur, quorumque in possessione vel quasi percipiendi Anno 1624. die 1. Januar. fuerunt, absque ulla exceptione solvantur. Si alicubi etiam Augustanæ Confessionis Status quædam Protectionis, Advocatiæ, Aperturæ, Hospitationis, Operarum, aut alia Jura in Ecclesiasticorum Catholicorum ditionibus, bonis, sive intra five extra territorium sitis, legitimo usu aut concessione habuerunt, quemadmodum etiam Catholici Status, si quid ejusmodi ipsis circa bona Ecclesiastica, Augustanæ Confessionis Statibus acquisita competit, omnes ex æquo jura sua pristina retineant, ita tamen, ut ne per ejusmodi jurium Bonorum Ecclesiasticorum reditus nimium pręgraventur & exhauriantur.

Reditus etiam, nec non Decimæ, Canones, & Pensiones Augustanæ Confessionis Statibus, Fundationibus jam destructis & collapsis, ex alienis territoriis debitæ, iis exsolvantur, qui in Anno 1624. 1. Jan. in possessione perceptionis vel quasi fuerunt. Quæ vero ab Anno 1624. destructæ fuerunt, aut in futurum concident, earum pensiones etiam ex alienis territoriis, domino destructi Monasterii seu loci, in quo id situm fuit, exsolvantur.

Quæ item Fundationes die 1. Jan. 1624. in possessione vel quasi Juris Decimandi e bonis Novalibus in alieno territorio fuerunt, sint etiam imposterum, nihil autem novi juris quæratur; inter ceteros Status Imperii & subditos id juris esto, quod jus commune vel cujusque loci consuetudo vel observantia, de decimis & bonis novalibus constituunt, aut per pactiones voluntarias conventum est.

Jus Diœcesanum & tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus, contra Augustanæ Confessionis Electores, Principes, Status, comprehensa Libera Imperii Nobilitate, eorumque subditos, tam inter Catholicos & Augustanæ Confessionis addictos, quam inter solos hos, penitus sublata esto: Et intra terminos territorii cujusque Jus Diœcesanum & Jurisdictio Ecclesiastica se contineat.

Ad consequendos tamen Reditus, Census, Decimas, & Pensiones, in iis Statuum ditionibus, ubi Catholici Anno 1624. notorie in possessione vel quasi exercitii Jurisdictionis Ecclesiasticæ fuerunt, utantur eodem posthac quoque; Et quidem non nisi post tertiam demum denunciationem. In quibus Civitatibus Imperii utriusque Religionis exercitium in usu est, Catholicis

1647. Ilicis Episcopis contra cives Augustanae Confessionis nulla sit Jurisdictio, at  
April. Catholici suo jure experiantur. 1647.  
April.

Utriusque Religionis Magistratus severe & religiose prohibeat, ne quisquam publice privatimve concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo Transactionem Passaviensem, Pacem Religiosam, vel hanc imprimis sive Declarationem sive Transactionem usquam impugnet, dubiamve faciat aut assertiones contrarias inde deducere conetur. Quicquid etiam haecenus contrarii vel editum vel promulgatum publicatumve fuerat, irritum esto. Sed, si dubii quid hinc aut aliunde incidat, aut in Judiciis, ex causis, Pacem Religiosam aut hanc Transactionem tangentibus, resulet, resque ad paria Vota deveniat, de eo inter utriusque Religionis Proceres non nisi amabili ratione tranfigatur.

In Conventibus Deputatorum Imperii Ordinariis numerus ex utriusque Religionis Proceribus æquetur, de personis autem in Comitibus proximis statuatur.

In horum Conventibus, item Comitibus Universalibus, sive ex uno sive duobus, aut tribus Imperii Collegiis, quacunque occasione aut ad quacunque negotia Deputati veniant, æquetur Deputatorum numerus ex utriusque Religionis Proceribus. Ubi Extraordinariis Commissionibus negotia in Imperio expedienda occurrunt, si res inter Augustanae Confessionis Status versatur, soli eidem Confessioni addicti deputentur; si inter Catholicos, soli Catholici; si inter Catholicos & Augustanae Confessionis Status, utriusque Religionis pari numero Commissarii denominentur & ordinentur. Placuit etiam, ut Commissarii quidem res a se gestas referant, & Vota sua subjungant, instar tamen sententiae nihil definiant.

Quod si dubia in causis, Exercitium Religionis bonaque Ecclesiastica concernentibus, oriantur, & vel a Camera Imperiali vel Judicio Imperatoris Aulico ad decisionem Statuum Imperii remittantur: Item, si ad quaestiones, in Comitibus sive Universalibus sive Particularibus propositas, ex una parte Catholici, ex altera Augustanae Confessionis Status, in diversas abeant sententias, sola amabili compositione dissensio componatur, ac proposita dubia resolvantur, non attentata Votorum pluralitate.

In causis vero Collectarum, & aliis statum Imperii Politicum concernentibus, haecenus a multis retro seculis observatus per Majora concludendi modus porro etiam observetur, liberumque nihilominus sit iis Statibus, qui, ob inaequalitatem Matriculae aut infortunia, sese gravatos in causis Collectarum sentiunt, rationibus Caesareae Majestati explicatis, vel exemptionem vel moderationem impositarum publico Decreto Collectarum petere.

Actum praeterea est, cum ob enatas ex praesenti bello mutationes consultum videatur, Judicium Camerae Imperialis ad alium universis Imperii Statibus commodiorem locum, Erfordiam scilicet Civitatem, ad Archi-Episcopatum Moguntinensem pertinentem, transferri, tum etiam de modo Praesentandi Judices & Assessores aliter disponere, idque in praesenti Congressu ob Statuum paucitatem negotii que gravitatem, adeo facile expediri nequeat, ut his de rebus in proximis Comitibus, per Imperatorem, de consilio Electorum indicendis, agatur & conveniatur, deliberationesque de reformatione Justitiae, in nupero Deputatorum Imperii Conventu Francofurtensi habitae, ad effectum dentur, inter ea tamen Status, de praesentandis mature in locum demortuorum novis ad Judicium Camerale Assessoribus, admoneantur, Caesareaque Majestas operam det, ut non solum in isto Judicio Camerale cau-

1647. sa Ecclesiastica, adlectis ex utraque Religione pari numero Assessoribus, 1647.  
 April. discutiantur & judicentur sed idem etiam in Judicio Aulico observeur, April.  
 huicque fini aliquot Augustanae Confessionis doctos & rerum Imperii peritos viros adsciscat, servatis quoad Processum iisdem cum Ordinatione Camerae legibus, quantum quidem causarum illuc devolutarum natura patitur.

Si quæ vero dubia circa interpretationem Constitutionum & Recesuum Imperii Publicorum occurrunt, aut in dijudicandis causis Ecclesiasticis, ex paritate Assessorum utriusque Religionis, contrariæ oriuntur sententia, remittuntur ad Comitia Imperii Universalia, nisi interea amicabili partium compositione finiantur.

Atque in Aulico non minus quam Camerali Imperatoris Judicio Privilegia primæ Instantiæ, Auftregarum, Jura & Privilegia de non appellando, Statibus Imperii illibata sunt, nec per Mandata, aut Commissiones, aut quovis alio modo turbantur &c.

### §. XXV.

Evangelicorum Erinnerung auf den Kayserlichen Aussag, und allerlechte Erklärung in puncto Gravaminum.

Die Evangelischen giengen sofort den vorherstehenden Aussag der Kayserlichen Gesandten durch, und befanden, daß nicht allein derer noch hinterstelligen differentien halber, priora allerdings repetiret, sondern sogar auch dasjenige, so man bey der letztern mit dem Legato Wolmaru gepflogenen Conferenz bereits abgehandelt und verglichen hatte, zum Theil wieder zurück gezogen werden wollen, dannenhero die Evangelische Fürsten und Stände bey dem Magdeburgischen Directorio zusammen getreten, und was nunmehr weiter bey der Sachen zu thun, reiffe Berathschlagung gepflogen; da dann zwar Altenburg sein abgelegtes Votum dahin eingerichtet, auch demselben unterschiedliche nachfolgende Vora beygestimmt, daß, gleichwie aus solcher Zurücktretung der Herren Kayserlichen, neben andern Umständen, fast eine vorhabende gefährliche dissolution gegenwärtiger Tractaten, solcher gestalt zu ominiren sey, daß man dadurch allen Auswärtigen zum Raub gemacht werden, und den Evangelicis schwere Verantwortung zustehen würde: Also nunmehr das Beste wäre, dasjenige, so dißmahl nicht zu erheben, Gott zu befehlen, und lieber nachzulassen, als den blutigen Krieg mit grosser Gefahr, Elend und Jammer fortzusetzen: und solchemnach zwar die Herren Schwedischen zu ersuchen, den punctum Gravaminum nach ihrem selbst eigenen Wohlgefallen in das Instrumentum Pacis zu

bringen, und zu deren Erhaltung das Beste, doch solcher gestalt, so weit es ohne Continuation des Kriegs beschehen könnte, ferners fürzuwenden. In specie möchte es endlich wegen Nach und Donawerth, wann je nichts ferners zu erhalten, dahin zu stellen und Gott heimzugeben seyn. Das Stift Ohnabrück betreffend, möchte selbiges auf allem äußersten Fall, dem jetzigen Herrn Bischoffen ad dies vite, doch mit nachfolgenden Conditionen zu lassen seyn, daß 1) demselben alsobalden ein Evangelischer Coadjutor adjungiret, 2) denen Evangelicis die innhabende Kirchen in der Stadt und auf dem Lande gelassen, und ihnen kein Eintrag gethan werde, 3) die Petersburg, wie auch 4) das neu-erbauete Jesuiter-Collegium abgeworffen, und nimmermehr eingeger selbigen Ordens, in dieser Stadt wiederum eingeführt werden, sodann 5) der Herr Bischoff anderst nicht, als mit einer gewissen Anzahl Personen herein kommen, auch 6) niemahls über 3. Tage allhier verbleiben solle &c. In puncto Autonomie Art. 12. & 13. könnte es endlich auf die jetztlebende und ihre Kinder primi gradus, restringiret, der vorhin zur Anmeldung gesetzte 6. Monathliche Terminus ausgelassen, der künftigen halber aber, selbige pro emigratione auf 15. Jahr gestellet werden; weilm auch Art. 13. ratione der Erb-Untertanen, Herr Graf von Trautmannsdorff